





Oct. 1691.

1667

13

J. H. Kromayer

Vg  
5343

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS  
*ad*  
SESQUI SECULA-  
REM MEMORIAM

Cæpti à Megalandro LUTHERO,  
reformationis operis utriusq; Reip. Pa-  
tres conscriptos  
invitat.

De nativitate, dominatione revelatione  
et fatali rapacitate per Lutherum, destructione.





Vatuor potissimum tempora, nativitatis, dominationis, revelationis & totalis destructionis in doctrina de Anti-Christo veniunt observanda. Nativitatem quod attinet, μυριοτεχνίτης Diabolus non vomendo, sed lambendo, non simul & semel, ne techna pellueret, sed longo temporum tractu fœtum hunc pulchellum eniti, nec non in Ecclesiæ proscenio sistere voluit. Sex enim à Christo nato plus minus præterlapsa fuere secula, priusquam AntiChristus Ecclesiæ satis innotesceret. In præcursoribus τῷ Φιλοπρωτεύειν amantibus, exemplo Victoris Episcopi R. qui jam, seculo currente post Christum natum secundo, fulmen excommunicationis adversus Ecclesias Asiaticas, in rebus adiaphoris à se dissentientes, expedierat, concipi cœpit. Nec quieverunt ex eo loci dicti Episcopi, sedem Imperatoriam prætendentes, donec primatum ordinis inter omnes non Episcopos tantum, sed & Patriarchas in Concilio vel Nicæno, vel Constantinopolitano primo conseqverentur. Cùm verò, sede Imperatoria Byzantium (à Constantino dicta Constantinopolin) translatâ, ut vires Asiarum & Europæ jüngerentur arctius, Episcopi Constantinopolitani primatum affectarent & Romani fortius contraniterentur, factum, ut Bonifacius III, præterlapso seculo sexto, cui rei fundamenta substraverant Antecessores, auxilio Phocæ Imperatoris, præter primatum ordinis, etiam potestatis super Episcopos reliquos Oecumenicum se venditans Episcopum obtineret. Ex eo visus embryo prius jam in luce editus per orbem Christianum ὁ αὐτικεῖ-

) : ( 2

μεν

**μεν** & innotescere cœpit. Jam schisma inter Ecclesias Orientales & Occidentales haut exiguū natum, Orientalibus Episcopis inter se junctis jugum hoc detrectantibus & Episcopum R. res suas sibi habere jubentibus. Tempus dominationis qvod attinget, hâc **Uπερχη** acquisitâ, jugum suum Ecclesiis occidentibus, abrogando ceremonias veteres, præsertim in Anglia & Germania, suasqve unâ cum lingua Latina in usu sacrorum obtrudendo Episcopi R. jam Pontifices imponere cœperunt. Nec in his perstiterunt, sed, postqvam ad electionem Caroli M. Romanorum Imperatoris in occidente unâ cum aliis Statibus concurrisserunt, & Leo Pontifex nominis hujus III. ipsi coronam imposuisset, Regibus deinceps coronas admittere, quasi sua in manu positum esset, cui velint, regna mundi dare, qvin & de primatu in temporalibus, super ipsos Imperatores eminentia, consilia inire cœperunt. Magno qvidem hoc ipsis constitit, Imperatoribus autoritatem suam fortiter asserentibus, & Pontifices refractarios de sede dejicientibus, alios evehentibus. Telam tamen qvam semel orsi erant Episcopi R. pertexere non desierunt, Gregorius præcipue nominis hujus VII. Hildebrandus prius dictus, sed Imperatores excommunicationis prætextu, suspectis in eorum locum aliis, de solio deturbare non erubuerunt. Heinricum enim IV. ex Francis oriundum, admissâ Rudolphi Svevo coronâ cum hac inscriptione

*Petrus dedit Petro, Petrus diadema Rudolphi,  
dictus Gregorius per suos delegatos Augustalibus exuere pri-  
mus fuit annis. Qvanqva autem res pessimè cecidisset Ru-  
dolphi propè Martisburgum cœso & occiso, de suis tamen co-  
natibus nihil remiserunt Pontificis successores, Urbanus Turba-  
nus & alii, donec voti sui compotes evaserint. Ultq; Sacerdota-  
lem ordinem sibi magis, qvam Imperatoribus obnoxium ha-  
berent, Conjugio eidem interdixerunt, vel potius, qvod irrito  
prius conatu ab Antecessoribus prohibitum erat, effectui de-  
derunt. Specimen potestatis supereminentis in Imperatore.*

Fri-

Friderico Barbarossa edidit Alexander III, qui pacem petentem Venetiis in æde D. Marci pedibus conculcavit, & accinere sibi è Psalmo 91. jussit: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem. Cùm verò Imperator ex justo animi dolore reponeret: Non tibi, sed Petro, bestia rursus in eum insiliit hisce verbis: Et mihi & Petro. Quoties Ecclesiasticæ censuræ prætextu seqentes Imperatores Otto Brunsvicensis Fridericus II, Ludovicus Bavarus, si conatibus eventus respondissent, ab Episcopis R. purpurâ privati fuerint, historiarum monumenta loqvuntur. Bonifacius 8. antecessorum suorum vestigiis insistens alternis in Pontificalibus & Augustalibus conspicuus, cùm Jubilæum primum celebraretur, duos gladios potestatem simul Ecclesiasticam & secularem significantes præ se ferri jussit altâ voce succinens: Ecce hic duo gladii. In Conciliis, Ecclesia repræsentativa, supererat adhuc aliqvid remedii, quo Pontifices exorbitantes in ordinem redigi poterant, prout in Concilio Constantiensi tres simul Antipapæ Johannes 24, Gregorius 12, Benedictus 13, electo Martino V, simul depositi fuere, sed omnem hic moverunt lapidem, omnem versarunt cuneum, ut super ipsa concilia se attollerent, & ad αποθέωσιν quandam viam sibi munirent. Qvod cùm faciunt in Synodo Lateranensi, Deus Ecclesiæ suæ misertus Theandrum misit, qui coronam triplicem super cœlestia, terrestria & infernalia Pontifici de capite dejecit & aquaricullos Monachorum, Erasmo dicente, animosè contrectavit. Non ea qvidem mens ab initio fuit Lutherocitantam regno AntiChristiano cladem inferre, sed adversus indulgentiarum abusum duntaxat disputare, DEO tamen clavum hic moderante, articulom unum post alterum lucis suæ restituit. Non nova prorsus Lutheri fuit doctrina, sed renovata & à fermento Papalitepurgata: qvæ ratio fuit, qvòd miraculis opus non habuerit, licet miraculi plus satis in eo conspiciatur, qvòd parvus hic David ab omni auxilio humano nudus fortis

) : ( 3.

Golia-

Goliathum, & ipsis Imperatoribus invictum prius visum vice-  
rit & prostraverit.

*Vir sine vi ferri, vi verbi & inermibus armis,*

*Vir sine re, sine Spe contudit orbis opes.*

Tempus hoc fuit revelationis, cui quidem alii, successu tamen  
minus felici, præluserunt. Lutherus servatus fuit hic honos, ut  
lacem Evangelii redaccenderet, & ad dissitas etiam regiones  
diffunderet. Ominosum & rei conveniens MARTINI LU-  
THERI nomen & cognomen videbatur. Martinus enim à  
Marte dictus fortē & invictū militem, Lutherus autem Saxo-  
nicā dialecto purum & ab inquinamentis purgatum significat.  
Hunc indice digito præmonstrârunt Martytes Bohemi à Patri-  
bus Concilii Constantiensis, vel Obstantiensis potius, ut à Lu-  
thero propter impium Canonem ibidem factum Concilium  
hoc vocabatur, ad vivicomburium damnati, & Hussus quidem,  
cùm ad vallem Josaphat provocans hæc in verba erupit: Post  
centum annos respondebitis DEO & mihi; Hieronymus vero  
Pragensis, cremato Hulso dicens: Jam assant anserem, post cen-  
tum annos orietur cygnus, cui cantu non poterunt interdicere.  
Hunc etiam Johannes Hiltennius Monachus Isenacensis,  
ut & magnam expeditionem Turcicam adversus castra Israëlis  
post annum 1660. futuram (cui utriq; respondit eventus) ven-  
tarum prædixit. Hic, hic est Angelus Apocalypticus per μεσγ-  
εγάνημα volitans & æternum Evangelium afferens, ad cojus  
vocem Babylon illa magna cadere cœpit. Dignum est, qvod  
altius expendatur, somnium Θεόπευπτον Electori Saxonie  
Friderico Sapienti eâ nocte, diem sequente quâ Lutherus adver-  
sus Johannem Tezelium Pirnensem, Monachū Dominicanum,  
indulgentiarum venditorem hic Lipsiæ A. 19. mortuum & hic  
in Paulino sepultum theses suas foribus templi arcis Witteber-  
gensis affixit, immissum & tribus vicibus per intervalla repe-  
titum, novisq; circumstantiis vestitum, ac si Monachus qvis-  
piam pennâ de ansere centenario accepta & Romam usq;ve  
per-

per tingente Leonis (Pontificis hujus nominis X.) aures per-  
forasset & coronam Pontificis concussisset. Eventu sanè, va-  
ticiiorum & somniorum clave, plus satis fuit completum.  
Quot animarum salus per istam doctrinæ cœlestis traditio-  
num humanarum quisq; viliis nimium quantum obrutæ & ob-  
scuratæ repurgationem promota fuerit, & adhuc promovea-  
tor, cojus tantum est ingenii flumen, tanta dicendi vis & co-  
pia, ut vel attingere, ne dicam exprimere queat: Ad destru-  
ctionis, aut abolitionis tempus ut deveniamus, ingentia qvi-  
dem damna, tot regnis & provinciis ab obedientia sedis Papa-  
lis avulsis, tot fulcris subtractis, per istam Lutheri reformatio-  
nen regno Pontificio fuerunt illata, reliquiarum tamen de-  
structio adventui Salvatoris ultimo est reservata. Ut enim  
vas electum Paulus Thessalonicenses suos epistolâ 2. c. 2. ut  
& totam Ecclesiam de hac ruina instruit, hunc ἀνομον Domi-  
nus Spiritu oris sui conficiet, & claritate adventus sui abole-  
bit. Prius factum est per Lutherum & ipsius Parastatas: po-  
sterius brevi futurum adhuc præstolamur. Quantumvis au-  
tem ruinam temporalem adhuc majorem spe præcipiant qvi-  
dam, non tamen, si modò futura est, totalis, sed partialis dun-  
taxat habenda. Verba Pauli satis evidentia sunt, quod DO-  
MINUS adventus sui claritate Τυ ἀντικείμενον sit destra-  
torus. Qvod ut fiat propediem, & Ecclesia tum à violen-  
tis, tum fraudulentis persecutoribus liberetur, votis ardentissi-  
mis rogamus.

Quia verò 31. vel ultimo currentis mensis Octobris Sesqui-  
seculum complebitur, quo Megalander Lutherus nimiis in-  
dulgentiarum præconiis à Tezelio sparsis commotus theses su-  
as contra indulgentiarum abusum foribus templi arcis Witte-  
bergenfis anno æræ Christianæ 1517. affixit, & ita reformatio-  
nis opus, alea jacta, cœpit, Serenissimus ac Potentissimus  
Elector Saxoniz JOHANNES GEORGIUS nomi-  
nis

16. 11. 19. A.

nis hujus II, Pater patriæ clementissimus, DOMINUS  
& Protector noster gratiolissimus, qvæ Serenitatis Ipsius  
est pietas & zelus pro Evangelica Lutherana religione, tanti  
beneficii memoriam nullatenus oblitterari, sed gratulata sibi de  
regimine hoc charactere insignito tum in sede sua Electorali,  
tum in duabus Academiis Lipsiensi & Wittebergensi diem  
istum festum celebrari, pro tanto beneficio ditionibus his in-  
dulso Deo ter Opt. Max. gratias in congregationibus Eccle-  
siasticis agi, utqve beneficium hoc nobis & posteris perpetuum  
esse jubeat, preces ad Eundem ardentissimas fundi voluit. Ec-  
clesiis itaqve reliquis conformatura sese Academia post audi-  
tam diei 21. Oct. horam XII. panegyrico per Excellentissimum  
Virum Dn. Professorem JACOBUM THOMASIUM ha-  
bendo clementissimæ ac piissimæ Serenitatis Ipsius volun-  
tati satisfaciet. Qvò verò plus lucis huic actui sesquiseculari  
accedat, utriusqve Reip. Proceres & Patres conscriptos, ut tan-  
tum vel meditationibus suis sacris, vel aliis munera functio-  
nibus succidere, dicto tempore in sacello Ecclesiarum Nicolaitanæ  
sui copiam facere, ad locum huic actui Eucharistico destina-  
tum Nos comitari, suasqve preces Nobiscum conjungere ve-  
lent, his ipsis cum oblatione studiorum nostrorum reciproco-  
rum rogamus. P. P. tertio Cal. Nov. anno 1667.

---

Literis WITTIGAVIANIS.

m.c

INUS  
Ipsius  
, tanti  
sibi de  
toralis,  
i diem  
his in-  
Eccle-  
etuum  
it. Ec-  
t audi-  
simum  
M ha-  
volun-  
eculari  
ut tan-  
unctio-  
aitanæ  
estina-  
ere ve-  
proco-

ULB Halle  
004 957 113

3



Von





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-42181-p0012-7

DFG

*μεν οι innovales & Occidentibus inter se jocres suas sibi habet, hanc ut talibus abrogat Germania, obtrudendo Nec in his per M. Romanorum concurris nam imposuit sua in manu p & de primatu etia, confilia irritit, Imperato Pontifices ref Telam tame non desierunt debrandus praetextu, suff erubuerunt. missa Rudol*

*Petrus dictus Gregorius fuit annis dolpho propriis natibus nihil nus & alii, do lem ordinem berent, Con prius conatu derunt. Spec*

**Kodak**

LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches**

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

cclesias Orientalibus Episcopum R. tionis quod at lesiis occiden m in Anglia & usu sacrorum ere coeperunt. tionem Caroli cum aliis Statis III. ipsi cor mittere, quasi ndi dare, quin atores eminenti ipsi constituerentibus, & evehentibus. R. pertexere iujus VII. Hil municationis disturbare non riundum, ad optione

us exuere pri cecidisset Ru suis tamen corbanus Turba t; Sacerdota obnoxium ha as, quod irrito t, effectui de in Imperatore

Fri